

Frater in mente humilis,
Quem Christus jam prædixerat,
Ut regnum ejus capiat.

Hujus oratu credimus
Ad castra cuncti pergimus,
Si cultum ejus agimus
Qui sedet super angelos,
Qui sedet super cherubin,
Simulque super seraphim,
Sideraque agmina
Regit sua potentia.

Ipsaque nos tartareo
Eripiat a tormento,
Zabuli et a laqueo
Defendat suo labro.

323 Sancte Wigberte, quæsumus,
Ora pro nobis omnibus,
Ut lavet nos crimibus
Rex angelorum Dominus.

O Pastor alme, pro clero
Interveni jam devoto.
Digna tua oracula
Tollunt nostra piacula.

Salvator noster, relaxa
Et dele nostra crimina
Per confessoris inclyta
Sancti Wigberti merita.

II.

En piis splendent revoluta votis.

A

Annua nobis veneranda cultu,
Festa Wigberti. Populo frequenti
Christe faveto,

Hic velut clara rutilans lucerna,
Indolis primæ radios micantes
Sparsit in mundo, gradiendo callis
Ardua dextri.

Utique nil sacri meriti deesset,
Subdidit summæ piæ jussioni
Colla, quo Christi crucis et minister
Pauper adesset.

Ipsa quem tantum Deitas beavit,
Quo foret seculo sibi commoranti
Forma, sic æque via lapsitanti
Posteritati.

B

324 Cujus exemplum glomeret in unum
Turbam haud parvam sibi servientum
Semper ut Christi resonet fideli
Pectore laudes.

Quam Deus cunctis redimet ærumnis,
Cum potens dextram quatitur coruscam.
Ultimi donans requiem laboris
Visere sese.

Patris hoc proles, Pater hoc et ipse
Præstet, hoc flatus per utriusque sanctus;
Unicum nomen Deitatis omni
Est quibus ævo.

ANNO DOMINI DCCCLXVI.

RODULFUS

BITURICENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA IN RODULFUM

(Ex Gallia Christiana, tom. III.)

RODULFUS nobili et antiqua stirpe ortus erat, nimirum Rodulfo Cadurcorum comite, et Aiga, paris cum nobilitatis tum pietatis parentibus, (a) a quibus primum ad clericatum instituendus traditur Bertranno viro religioso, assignata in titulum patrimonii villa quadam *extra consortium fratrum*; quemadmodum Emenanæ, Rodulfi sorori, ad sanctimonialium habitum tradendæ, quamdam cedunt ecclesiam nobiles parentes. Per clericatum potest hic intelligi monachatus, qui non raro in antiquis scriptoribus per clericatum designatur; maxime cum videamus Rodulfum abbatem ante episcopatum fuisse. Nec obstat titulus

(a) Ex Mabill. sæc. IV Bened. parte II, pag. 156. Hi fuerunt filii Rodulfi Comitis et Aigæ: Rodolphus clericus (ipse est archiepiscopus noster), Godefridus comes, Robertus, Landricus; Emenana filia eorum fuit abbatissa S. Generii, apud Sarrasiacum. De Johanne

C ei datus, seu villa loco tituli clericatus velut assignata: nam id solebat fieri etiam pro monachis, uti probat charta Rotardi cujusdam in tabulario Belliloci, apud Lemovices, unde erutum instrumentum de villa patrimonii loco data Rodulfo: nam Rotardus ibidem concedit Rodulfo abbati Bellilocensi (is erat noster Radulfus), et monasterio Bellilocensi, *pro clericatu cujusdam consanguinei sub nomine Gumberti*, ut idem Gumbertus hæc teneat, *usque dum abbas et monachi supradicti loci, aut ecclesia alium ei honorem concedat, ut secundum clericatus sui officium vivere possit.* Eodem itaque modo, quando Rodulfus noster ado-

qui fuerat Abbas Bellilocensis altum est silentium. Infra tamen Johannis hujus fiet mentio. Roberti conjux Retrudis sepulta est in monasterio Bellilocensi. De iis plurima habes in historiæ Tutelensis appendice.

lescens a parentibus traditus est ad monachatum, simul parentes dederunt villam indominicatum Bel-lomontis in pago Lemovicino, ut probat monasterii S. Petri Bellilocensis charta donationis hujus villæ, quam exhibet Mabillonius sæc. iv Bened. parte II, page 157. Deinde Rodulfus fuit abbas incerti loci; nam probat Mabillonius ad annum 840, ipsum quando adeptus est sedem Bituricensem, abbatem quidem fuisse, sed nondum Floriacensem, aut Veterinensem, seu Bellilocensem: quæ duo monasteria nondum erant condita.

Rodulfus præesse cœpit metropoli Bituricensi anno circiter 840 aut 41, et sane anno 840 adhuc tantum abbas vocatur in venditione villæ Beliaci facta a Bosone ejusque conjugè Talasia *abbati Rodulfo* (noster est Rodulfus) *anno primo Lotharius excellentissimus imperator assumpsit imperium*, mortuo videlicet Ludovico patre mense Junio anni 848. At paulo post Rodulfus factus est Bituricensis archiepiscopus, uti docet ipse in charta quam suum testamentum appellat; in cujus fine legitur: *Rodulfus primæ sedis episcopus huic testamenti chartulæ subscripsit... Datum mense Martio, anno primo Caroli regis*. Annus erat primus Caroli regis cognomento Calvi, post Ludovici patris mortem. Et hic forsitan adhuc computabatur Christi 840, usque ad Pascha.

Ut de rebus a S. Rodulfo gestis in episcopatu nunc dicamus, eodem anno quo cathedram conscendit Veterinense construxit cœnobium (*apud Lemovices*), de cujus fundatione Mabillonius vulgavit instrumentum in elogio sancti antistitis tom. IV Actorum SS. Benedict., parte II, quo Domino Salvatori res quasdam suæ proprietatis offert, Suraziacum videlicet, cum villa S. Gensii, situm in pago Caturcino, in vicaria Casiliacensi, necnon *casam dominicariam* apud Veterinas super fluvium Sordarien (la Sordoire), in orbe Lemovicino. Hæc autem ab Aiga matre acceperat. Huic autem cœnobio præfecit Silvium abbatem; eumque procul dubio, quem hoc tempore Solemniacensem abbatem fuisse videmus. Patroni novi monasterii erant, præter mundi Servatorem, apostoli Petrus et Paulus, omnes apostoli, sancti Laurentius, Sebastianus, Dionysius, Mauricius, alique martyres; confessores Hilarius, Martinus, etc.

Eodem anno 840, conditum est Rodulfi munificentia Bellilocense monasterium super fluvium Dordonæ, cujus Veterinense postmodum factum esse prioratum legimus; unum autem ab altero parum distat. Huic abbatiæ Rodulfus voluit præesse venerabilem Gairulfum abbatem (quamvis ipse tam Bellilocensis quam Veterinensis monasterii uti abbas gereret sollicitudinem).

Anno 843 pius archiepiscopus ad condendum aliud monasterium (a) intra suæ diœcesis fines animum applicuit, ad quod dotandum quædam ecclesiæ suæ prædia contulit. Ab universo vero constructum est apud Doverum (*Dèvre*) postea ob accolarum inclementiam et infestationes, translatum est in castellum proximum Virzionem dictum. Doverensis monasterii novæque congregationis ibidem Deo famulantis primus abbas post Rodulfum, qui omnibus his monasteriis præerat, fuit Aimericas, cujus meminit Carolus Calvus in præcepto pro hujus monasterii confirmatione dato (b).

Eodem anno, adjuvante Aigua matre, prope castrum Caziliacum, in pago Caturcino, et villa Sarasiacensi, condidit puellare cœnobium, uti præmonimus, cujus abbatissa fuit Emenana, Rodulfi soror. Tanta fuit Aiguæ comitissæ liberalitas in condendo hoc parthenone, ut pro fundatrice habeatur. Ibi quo-

(a) Rodulfum non fuisse primum hujus monasterii architectum aut fundatorem suadere videtur quædam charta ejusdem loci quæ incipit: *In nomine, etc. Carolus gratia Dei rex, etc. Statuimus atque firmamus ut prædicti monachi supradictas res cum omni integritate a venerando pontifice Rodolpho vel ejus*

A que condita est post mortem, prope Rodulfum comitem virum suum ibidem sepultum. In litteris Aiguæ dicitur fundatum hoc sanctuarium, consentientibus Rodulfo archiepiscopo, Godalredo comite, Roberto, Landrico, et Johannæ Aiguæ liberis. Tempus autem conditi loci in hac litterarum clausula innotescit: *Facta sessio ista in mense Februario, in anno 1 obitus bonæ memoriæ Rodulfi jam dicti (comitis conjugis Aiguæ) et anno tertio quo assumpsit imperium dominus Lotharius*. Relictis vero rebus monasticis, ad alia majora fortassis momenti transeamus. Anno 845 interfuit conciliis Meldensi, Moguntino anno 848, si Trithemio fides debeat; Tullensi, in villa dicta *Saponariæ*, mense Junio anno 859, in quo judex eligitur cum Remigio Lugdunensi et aliis præsulibus, in causa Wenilonis archiepiscopi Senonensis, adversus quem hac in synodo Carolus Calvus rex libellum proclamationis obtulerat. Subscripsit autem epistolæ omnium astantium episcoporum ad eundem Wenilonem, et alteri ad Britonum præsules, qui ab Herardo Turonensi archiepiscopo suo metropolitano defecerant. Legitur etiam ejus subscriptio in concilio Tullensi secundo apud Tusiacum anno 867, ubi Hincmarus archiepiscopus Rhemensis jussu synodi, ad nostrum Rodulfum et ad Frotorium Burdigalensem archiepiscopum scripsit conventum episcoporum eis qui primarum sedium regni Aquitanici antistites erant, definiendam commississe causam de nuptiis Stephani, et filiiæ Regimundi comitis; adhibito coepiscoporum et primorum terræ consilio, uti legitur tomo VIII, Conciliorum, et tomo III Concil. Galliæ. Occurrit ejus nomen in subscriptionibus privilegii S. Dionysii, anno 862 dati, in prima synodo Pistensi, et constitutionis pro cœnobio S. Germani Antissiodorensis, factæ in synodo Pistensi II anno 864.

Cæterum Nicolaus papa I Rodulfum Aquitaniarum primatem esse agnovit, et patriarchæ titulo decoravit, in epistola quæ legitur tomo VIII Concil. Labbei, decima nona primæ appendicis, col. 504. Hac in epistola notatu digna est Nicolai papæ responsio ad Rodulfi nostri quæsitæ, qua definivit ordinationes factas a chorepiscopis minime iterandas: *Ad formam enim septuaginta (discipulorum) FACTI SUNT, inquit, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia!* Idem papa (ep. 40) monuit Rodulfum ut penitus abstineret a communionem Theutgaudi et Guntarii episcoporum, quos damnarat apostolica sedes. Flodoardus lib. III, c. 21, meminit litterarum quas Hincmarus Rhemorum archipræsul ad eundem scripserat, ut ipsi bonorum abbatiæ S. Remigii in pago Lemovicensi custodiam commendaret ac defensionem.

Rodulfus quindecim capita de rebus ecclesiasticis condidit pro Diœcesis suæ clericis et sacerdotibus. Edidit nuper V. C. Stephanus Baluzius tomo VI Miscellaneorum p. 139, ejusdem capitula, de eodem fere argumento. Post ecclesiam Bituricensem diu pie ac strenue administratam, et monasticum ordinem multis in locis propagatum obiit, titulum sancti merito consecutus, anno Christi 868 teste Adone XI Julii, sepultusque est in basilica S. Ursini apud Biturigas, ubi magna veneratione colitur: Unicus duntaxat nævus in sancti hujus archiepiscopi vita deprehenditur, quod tot abbatias obtinuerit. Sed in iis quas fundaverat nihil sibi lucri retinuit; omnia vero in monasteriorum emolumentum refundere curavit. Et iis quidem abbates dedit; abbatis titulum nudum fere sibi etiam servans, id est, patris, qui optime conveniebat munifico fundatori. In hoc tamen reprehensione dignus visus est patribus synodi Tullensis ad Saponarias ano 857 habitæ, quod Floria-

antecessoribus ad eorum stipendia deputatas perpetuo teneant, etc. Forte irrepsit errore librarii *antecessorum pro successorum*. Neque enim hujus diplomatis Carolini habemus autographum.

(b) Vide Mabil. sæc. iv Ben. part. II, p. 158.

censem abbatiam cum archiepiscopatu possedis-
set.

Hanc ipsi Carolus Calvus concesserat, vivente etiam Bernardo abbate; Rodulfum hoc beneficio demereri sperans, quo in Aquitanorum motibus uteretur; quippe ob generis nobilitatem, affinitates cum Aquitaniæ proceribus pene omnibus, sedis dignitatem, maxime vero propter sanctitatis famam, archiepiscopi hujus potestas erat maxima. Sed in concilio i Tullensi Patres id moleste tulerunt et in capitulo 14 legitur: « Postulavit humiliter generalis synodus se ad terram usque prosternens ante Karolum regem et Rodulfum Biturigum archiepiscopum obsecrans et adjurans per crucem et Christi sanguinem, ut privilegium monasterii S. Benedicti, quod annuente præfato rege firmaverant, quodque idem Rodulfus subscripserat qui præfatam abbatiam

A irregulariter tenebat, ratum et inconvulsum servare studerent. » Rodulfum abbatiam cessisse autumat Mabillonius, quia *Bernardus abbatibus officium ad aliquot annos gerere non destitit*; sed forsitan vicaria, non suprema potestate. Inter cæteras animi dotes eminuit in hoc præfule summa prudentia, qua principum ab invicem dissidentium et pro regno decertantium gratiam sibi conciliavit. De Caroli Calvi erga eum benevolentia jam diximus, ubi nar-
ravimus ab hoc principe etiam contra leges ecclesiasticas datam ipsi fuisse Floriacensem Ecclesiam. Eidem quoque munificum se probavit Pipinus Junior, Aquitaniæ rex, filius alterius Pipini, Aquitaniæ quoque regis; concessitque nonnullas villas, de quibus agit principis hujus diploma, quod legitur datum indict. xi anno decimo regnante Pipino inclyto rege.

RODULFI CAPITULA

(Apud Baluz., Miscellanea sacra, tom. II.)

INCIPIT PROLOGUS.

RODULPHUS exilis servorum Dei servus, fratribus et consacerdotibus Bituricensis Ecclesiæ nostræ salutem.

Non latere credimus beatitudinis vestræ solertiam quanta ecclesiasticæ nobis disciplinæ, quantisque quotidianis sollicitudinibus subditorum insuper et temporalium oppressionibus rerum, quibus indesinenter undique coangustamur, sollicitudo constringat. Idcirco, ut vobiscum contuli, ex antiquorum scriptis, Scripturarum quoque ac canonum orsis excerpte dudum opusculum vitæ sacerdotalis pœnitentiæque ac satisfactionis minime quivi: quoniam animus partitus per diversa sit tardior ad singula. Non enim renisus sum petitioni vestræ velut otii tædio durus, sed supradictæ impossibilitatis nervo vinctus. Jam vero tantorum nolens resistere querimoniis dignum ac utile fore censeo condignis parere desideriis laudabilibusque satisfacere petitionibus. Quapropter me ipsum, fratres, abnegare nolo, sed ardenti animo, sine aliquo excusationis verbo, hujus ponderis sarcinam a vobis illatam, a Domino quoque sublevandam, arripere non recuso, jactans in Christo meum cogitatum, cujus hortatu huic operi tribuam incrementum. Ipse enim inquit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud*. Valde etenim me sollicitat quoniam ita in sacerdotum nostrorum libellis reperi quos vulgo pœnitentiales vocant (*Conc. Cabilon. II, cap. 38*), quorum errores certi, auctores sunt incerti, confusa judicia pœnitentium atque ita diversa et nullius auctoritate suffulta, ut vix animus prudentis prope dissonantia tanti discriminis possit sustinere jacturam. Hos vero obliterans, et studium meum certis atque catholicis scripturis accommodans, quid agere sacerdotes, qualiterve conversari vel quomodo Christi gregem veluti pastores ingenio compotes et sermone tantum medicinali antidoto levigatum ad perpetuæ oaulas pascuæ revocare oporteat, ex sanctorum Patrum canonumque sen-

B tentiis exiguum opus in uno volumine aggregare curavi. Et ut fastidiosus et minus eruditis lectoribus tædium minime inferrem, hujus modici opusculi summam quadraginta quinque capitulis perstrinxi. Si autem quis paschalibus multimodisque refertus dapibus hunc nostri laboris spreverit actum, in his obsecro charitate servata opibus utescat cecropiis, nostris omittens contraire purissimæ devotionis sine aliquo arrogantiae fastu conatibus. Legentium quippe totis præcordiorum nisibus efflagitare non cesso industriam quatenus dilectionis munere recreati, quæ in his membranis conspicuo corrigibilia et minus apta perspexerint oculo, absque dilacerationis obstaculo, non ut obtrectatores insani, sed tanquam amplectitores benevoli, emendare atque corrigere charitative studiose studeant, ut et perfectie dilectionis servetur in mente, et effectus optimi studii exerceatur in opere. Unde posco vos, o fratres dilectissimi, fundite pro meis peccaminibus supplicibus votis ad Dominum preces, quod clemens atque multum misericors vincula pravitate meæ absolvat, et gaudia æterna concedat. Deus omnipotens æternus pastor vos ubique protegat et ab omnibus perturbationibus liberet.

CAPUT PRIMUM.

De fide sanctæ Trinitatis, qualiter tenenda sit a presbyteris et prædicanda.

(Lib. i Capitular., cap. 76.) Primo omnium credendum est atque omnibus generaliter prædicandum Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, et unam esse deitatem et substantiam et majestatem in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti. Itemque quoniam Filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto et Maria Virgine pro salute et reparatione humani generis, homo factus, passus, sepultus, tertia die resurrexit, et ascendit ad cælum, sed etque